



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt CXIX. S. Vverenfridi Collegivm Elstense in Geldria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**



decorauit *Iulius II.* Papa, sed obsistentibus Murcia & Carthagine ciuitatibus illustribus, res ea difficultatem habuit, donec tandē Philippo II. Regi Catholico visum fuit, ad maius Ecclesię bonū nominare *Gregorium Gallum*, doctorem Theologum Salmanticensem, vt esset primus Episcopus Oriolanus : teste Garibayo.

## CAPVT CXIX.

S. VVERENFRIDI COLLEGIVM  
*Elstense in Geldria.*

**S**anctus VVerenfridus presbyter, cum B. *VVillibrordo* venit Ultraiectum, & verbū Dei potissimum apud Medenblicum & Durostadium prædicauit. Postmodum verò dictus Beatus *VVillibrordus* Archiepiscopus Ultraiectensis in medio insulæ Batuæ, quæ Rheni fluminis alueo circumcingitur locum *Elste* ipsi commendauit. Sed & Ecclesiam in villa *VVester-voert* gubernandam commisit. Cumque populum his duobus in locis ad fidē conuertisset, infinitis clarificatus miraculis, tā in vita, quàm in morte apud prænominatum virum *VVester-voert* in pace quieuit. sed miraculosè in *Elste* est tumultatus, vbi pro morbi articularis remedijs frequentatur, in sui nominis collegiata Ecclesia. *VVester-voert* est ex opposito Arnheimi extra Batuam. *Elste* autem est in Batua, media ferè via inter primarias Geldriæ



Geldriæ vrbes, Neomagum, & Arnhemum :  
 Quod Carolus Martellus S. Villibrordo  
 donauit. Legitur enim in pagina traditionis :  
*Carolus maior domus, pro remedio anime sue tradi-*  
*diffe Villibrordo Episcopo in pago Batua villam iu-*  
*ris sui Eliste nuncupatam, qua alio nomine Mari-*  
*thaim vocatur, & quidquid in ea Euerardus Regi*  
*Ghildeberto infidelis possederat.*

Ceterum Elstense collegium, octo præbē-  
 darum, fundauit *Baldericus*, Episcopus Ultra-  
 iectinus, quibus alias quatuor adiecit *Henricus*  
*Ingennlant* armiger anno millesimo quadrin-  
 gesimo quinquagesimo quinto.

## CAPVT CXX.

AVERNENSE COLLEGIVM IN  
*Hannonia.*

**A** Vesnæ siue Auenne opidum est Hāno-  
 niæ, finibus regni Galliæ proximum,  
 quod olim ad gentem Croijam spectauit. Cu-  
 ius opidi loco Bellus-Mons, itidem Hanno-  
 niæ opidum, sed à finibus regni Galliæ paullo  
 remotius, à Philippo II. Rege Catholico gen-  
 ti Croijæ est datum. In opido autem Auen-  
 nensi collegiū Canoniorum fundauit *Ludo-*  
*uica Albretia*, Vxor Caroli Croij primi Prin-  
 cipis Chimacensis.

Est quoque in dicto opido Bellomontano  
 collegium insigne Canoniorum.

O

CAPVT